

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (55)

14.3. De initio administrationis deque Archiabbatis resignatione (2)

Apertā confessione, quam difficilis et illo tempore adhuc desperata quōque tota condicio esset, nondum quicquam quoad periculum mutatum quidem erat, sed labores consolidandi demum incohati sunt. Tamen cognoscentiā distinctā etiam viae rationales ad problemata solvenda iniri potuerunt.

Ut ad effectum quendam perveniretur, sub variis aspectibus progrediendum erat, nempe unā ex parte totam sanationem pecuniariam Archiabbatiae respiciens, alterā ex parte condicionem fatalem «Culturalis Societatis» amovens. Itaque imprimis Administrator Abbas Coelestinus Maier atque vicepraesidens «Culturalis Societatis» P. Optatus Pfäfflin cooperari debebant. Nihilominus non licet oblivisci praeterea Abbatem Chrysostomum Schmid rem sustentavisse atque labores imposuisse. Haec cooperatio decursū temporis vere efficax facta est.¹

P. Optatus primo Vindobonae operabatur, quia illo tempore grapheum «Culturalis Societatis» ibi locum habuit. Primarius autem scopus ipsius in consiliis inceptisque scilicet in eo erat, ut fratres Stirling e negotiorum gestione amoveret et facultates plenarias eis detraheret. His scopis non adeptis de sanatione «Culturalis Societatis» atque de conservatione praedii silvestris cogitari non potuit. Sed hoc inceptum - uti exspectandum erat - haud facile perpetrabatur.² Praesertim primo rationes negotiationis gestionis a fratris Stirling factae erant probandae, id quod fieri non potuerat, antequam praesidium «Culturalis Societatis» non erat mutatum.³ Etiam si omnia diligenter inspiciebantur, nihil inveniebatur, quod contra fratres Stirling adhiberetur, quamquam sumptūs administrationis tempore Stirlingiano extraordinarie magni fuerant, cum omnes expensae priore praesidio «Culturalis Societatis»

1 P. Optatus in initio reservationem quandam propter cooperationem personalem cum Abbate Coelestino sensisse videtur, cum generaliter «*habitus socialis et se gerendi modus*» Abbatis Coelestini ei displicuit. Tamen decursu temporis eum magni aestimare didicit, cum cognosceret in «putimane aspero» esse virum pium magnā confidentiā Dei praeditum, qui in problemate solvendo ad omne auxilium erat paratus. - Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 19 (ASO, A.4.2).

2 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), pp. 22 sqq. (ASO, A.4.2). Breviter rem etiam commemorat Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 12 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).

3 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 22 (ASO, A.4.2).

annuente erant exhibitae. Nonnullas discrepantias parvas approbavit P. Aloisius, cum hae res se assentiente essent factae. Generaliter vero P. Aloisius non erat magnum auxilium, cum adhuc partes fratrum Stirling ageret et mirum in modum adhuc putaret illos esse «servatores» Archiabbatiae, quamvis omnibus interea detectis rem melius scire debuisset.⁴

Alia quaestio maioris momenti, ad quam P. Optatus se convertere debuit, erat licentia lignorum caedendorum a magistratibus acquirenda. Eadem - sicuti compluries iam commemoratum est - erat necessaria, ut illa pars contractūs lignorum caedendorum, quae cum pecuniā creditorīā acquirendā cohaerebat, valere inciperet.⁵ Eugenius von Stirling, cuius officium fuerat hanc licentiam curare, asseveravit progressum hac in re non effici, quia responsales praefecturae saltuariae in locis Muriponte⁶ et Leobina, cum essent corruptae, licentiam dare nollent. Ut condicionem investigarent, P. Optatus unā cum Abbate Coelestino operam dedit, ut colloquia cum praepositis illarum praefectarum saltuariorum haberent.⁷ His ergo in colloquiis compererunt - id quod iam anno 1929^o cooperatore quidam magistratuum monuerat - lignorum caedendorum copiam magnitudinis rogatae praeberi omnino non posse. Nam hunc in modum silvā deletā non solum praedio silvestri noceretur, sed propter labinas terrae timendas etiam incolis vallium. Hōc nuntiō praeterea apparuit sodales contractūs lignorum caedendorum iam ab initio scivisse petitionem lignorum caedendorum non acceptum iri et se itaque pecuniam creditam acquirere non debere.⁸ P. Optatus scilicet intra se interrogavit, num etiam

4 Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 22 (ASO, A.4.2) commemorat se compluries conatum esse P. Aloisium iterum ad partes Ottilianas attrahere, tamen frustra.

5 *Cfr* cap. 4.13.4.

6 Muripons: *Bruck a.d. Mur*.

7 De his colloquiis eorumque eventibus *cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 23 (ASO, A.4.2).

8 Scitū digna hōc in conexū est etiam alia explicatio P. ris Optati. Idem enim rettulit de colloquio quodam privato cum ingeniaro Alfredo Günther, qui mandato fratrum Stirling eos in dissensionibus cum magistratibus saltuariis adiuvit. Illo in colloquio Alfredus Günther confessus est relationem suam, qua copiam lignorum caedendorum sustentavit, a fratribus Stirling hunc in modum postulatum fuisse. Tamen P. Optatus hanc confessionem contra fratres Stirling adhibere non valuit, quia ingeniarius saltuarius talia publice vel in processu quodam iuridico non interavisset. - *Cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 23 (ASO, A.4.2).

fratres Stirling aliquid de hac res scirent.⁹ Nihilominus etiam ex illis informationibus nulla ansa praebebatur, quae contra fratres Stirling adhiberi potuit. Tamen P. Optatus conatibus suis non desiit. Gressum idoneum suscepit se convertens ad Ordinem Equitum Melitensium, cum fratres Stirling quoad statum suum sociale negotiaque sua sodalitate honorariā huius Ordinis nisi sunt.¹⁰ Cum P. Optatus in colloquiis cum Cancellario atque Priore Magno condicionem totam indicans aperte significaret se contra fratres Stirling sine ullo respectu acturum esse et talia Ordini Equitum Melitensium in publico iniucunda fieri posse, effecit, ut Melitenses cooperarentur. Illi ergo fratres Stirling ad tribunal honorum vocaverunt et hunc in modum eis comminati sunt.¹¹

Dum P. Optatus tunc ipse fratres Stirling «ex interiore parte», ut ita dicam, aggreditur indesinenter rationem reddendam de variis rebus ab ipsis postulans, eis sodalitatem honorariam «Culturalis Societatis» detrahens multaque similia faciens, praeterea cooperatorem officinae Reichraminger curavit et in partem «Culturalis Societatis» eum accivit. Agebatur autem de Davide Schnabel perito rerum lignariarum.¹² Eidem a fratribus Stirling munus procuratoris in officina Reichraminger traditum est et ad eius officium pertinebat negotium cum «Culturali Societate». Postquam P. Optatus vicepraesidens «Culturalis Societatis» redditus est, itaque artior contactus inter ipsum atque Davidem Schnabel evēnit et illum virum in munere suo vere habilem allicere potuit, ut liberatione a fratribus Stirling factā pro «Culturali Societate» laboraret.¹³ Interea David Schnabel ut internuntio fungebatur, ut fratribus Stirling ea communicaret, quae P. Optatus eos scire voluit.

Abbas Coelestinus tamen illo spatio temporis munere suo Administratoris

9 Probari quidem hōc non potest, sed secundum perfidum agendi modum, quo fratres Stirling se gerere solebant, putandum est eos verisimiliter involutos fuisse.

10 Ut apparuit, fratres Stirling crucem honorariam pecuniā praebitā acceperant, id est sumptūs curationis susceperant pro aegrotō paupere in nosocomio Melitensi commorante. Hoc etiam significat Ordinem Equitum Melitensium interdum non nimis diligenter probavisse, quem redderet Equitem honorarium.

11 De auxilio Ordinis Equitum Melitensium *cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 24 (ASO, A.4.2).

12 De hac coniunctione cum Davide Schnabel *cfr* Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöss (18.6.1956), p. 24 (ASO, A.4.2).

13 Scitū digna est adnotatio P. ris Optati Davidem Schnabel de contractu cum «Culturali Societate» fortasse iniendo loqui noluisse, antequam eadem nondum revera a fratribus Stirling soluta esset.

fungens scilicet non fuit desidiosus. Nam illis in monasteriis, quae administrationi pecuniariae subiecta erant, parsimoniam strictissimam instituit. Hunc in modum pecuniam acquisivit ad cassam sanationis, quae dicebatur, explendam, quae ad varium aes alienum reddendum atque usuras solvendas adhibebatur. Sic bonum initium factum est, ut calamitas instans paulatim arceretur. Ille progrediendi modus strictus iam post breve spatium temporis tam bonum effectum habuit, ut Abbas Chrysostomus die 24^o m. Dec. a. 1930^o - ergo septem septimanis post initium administrationis - Conventui nuntiare valeret quoad rem Tragoessianam pericula maxime esse amota.¹⁴ Tali conditione quietis relativae tamen non significabatur Otilianos nunc securos se sentire posse.

Sed ille successus initialis satis celeriter factus etiam hac re cohaerebat, quod Abbati Coelestino pluribus consultationibus cum Helvetica argentaria cooperativā habitis contigerat, ut pecuniam creditam promissam iam anno 1930^o revera acciperet. Argentaria Helvetica igitur «Culturali Societati» pecuniam mutuam 2.200.000 francorum Helveticorum¹⁵ praebebat, pro qua septem centesimae usurarum postulabantur et quae hypothecā praedio silvestri imponendā tuta est reddita.¹⁶ Sed magni momenti hōc in conexū est

14 Cfr Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 10 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1). Indicium huius rei etiam praebet Hartmut MADL (1999), p. 265. - In Annalibus sub die 24^o m. Dec. a. 1930^o de hōc nuntiō nihil inscriptum invenitur, sed ibidem sub die 18^o m. Dec. a. 1930^o adnotatur sanationem bene se habere dictum esse (Ann. Otil., 18.12.1930 (ASO, A.3.4.4)). Etiam in epistula sua die 18 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, Apr 578) Chrysostomus Schmid indicat sanationem pecuniariam bene progredi.

15 2.000.000 Sfr = 1.782.000 marcae = 3.020.338 scellini

16 Cfr Schuld- und Pfandurkunde zwischen Kulturverein Tragöß und Schweizerischer Genossenschaftsbank (St. Gallen) (ASO, A.11.5 (Schweizer Genossenschaftsbank)). In statutis pecuniae creditae praeter alia constituitur usuras quartō quōque mense esse solvendas (§ 1), ab acceptoribus pecuniae creditae omnes impensas esse solvendas (§ 3), ad pecuniam creditam tutam reddendam praedium silvestre argentariae obligandum esse (§ 6), ad unumquodque genus venditionis licentiam argentariae esse acquirendam (§ 7). Pecuniam creditam etiam commemorant Hartmut MADL (1999), p. 263; Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 10 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöß (18.6.1956), p. 20 (ASO, A.4.2); Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöss (1945/46), p. 4 (ASO, A.4.2), qui tamen in utroque tractatū per errorem de 2,3 milionibus francorum Helveticorum scribit. - Coelestinus Maier in primā relatione suā (1. Jahresbericht: Administration der Congregation von St. Ottilien (1.11.1930-31.10.1931) (ASO, A.4.2)) in initio conspectum brevem originis processūque problematis Tragoessiani praebet atque de primis inceptis sanationis scribit. Hic p. 3 sub titulo «Acquisitionis pecuniae» Helveticam pecuniam creditam commemorat.

argentariam pecuniam creditam solum dedisse, quia Abbatiae Ottiliensis, Suarzacensis atque Swikkersperchensis cautionem solidariam susceperunt.¹⁷

Pecuniā ex Helvetiā acceptā statim problema urgens atque satis periculosum solvi potuit. Nam Rudolfus von Leuzendorf in tribunalibus actiones instituit, quibus pecuniam 2,2 milionum scellinorum solvendam efficere voluit,¹⁸ quae ei inde ex contractu conciliationis die 31^o m. Ian. a. 1929^o inito debebatur,¹⁹ quae adhuc nondum erat soluta et quae hypotheca primaria praedio imposita erat.²⁰ Itaque duabus ex causis alicuius momenti erat, ut Rudolfo von Leuzendorf satisfieret, unā ex parte ut actiones amoverentur, quae verisimiliter efficaces fuissent, alterā ex parte ut primus locus hypothecae praeberi posset argentariae Helveticae. Eā de causā Ottiliani tunc coacti erant, ut celeriter novas consultationes cum Rudolfo von Leuzendorf instituerent.²¹ Cum autem spes pecuniae numeratae exstaret, Rudolfus von Leuzendorf rem subiit. Consultationes, quae die 12^o m. Nov. a. 1930^o habebantur, participaverunt Dr Evaldus Schimm iurisconsultus Rudolphi von Leuzendorf, Victor Kienböck iurisconsultus «Culturalis Societatis», P. Optatus Pfäfflin atque Administrator Abbas Coelestinus Maier. Scitū dignum est Ottilianis contigisse, ut 250.000 scellinorum eis remitterentur, si pecuniā numeratā solverent.²²

17 *Cfr* Solidarbürgschafts-Verpflichtung, 10.2.1931 (ASO, A.11.5 (Schweizer Genossenschaftsbank)). - Cautionem solidariam etiam commemorat Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 4 (ASO, A.4.2).

18 Erant duae actiones, nempe Leobinae atque Aeniponti, institutae. Una contra «Culturalem Societatem», altera contra Archiabbatiam Ottiliensem sponsonem insimul exhibentem erat directa. - *Cfr* epistula Optati Pfäfflin die 25 m. Nov. a. 1930 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).

19 *Cfr* cap. 4.13.4.

20 De causā actionum atque de argumentis contradictis «Culturalis Societatis» *cfr* epistula Optati Pfäfflin Kal. Nov. a. 1930 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2), - Cum Notkerus Mannhart priores consultationes conciliationis participavisset, in processū iuridico fortasse instituto verisimiliter ut testis apparere debuisset.

21 De dissensionibus cum Rudolfo von Leuzendorf *cfr* imprimis Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöß (18.6.1956), p. 20 (ASO, A.4.2). Rem etiam commemorant Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöß (18.2.1946), p. 10 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 264.

22 Hartmut MADL (1999), p. 264 scribit - tractatum Chrysostomi Schmid adhibens - hanc remissionem pretii disceptationibus Coelestini Maier fieri potuisse. Revera eadem erat effectus cooperationis idoneae atque bene excogitatae inter P.rem Optatum et Abbatem Coelestinum. - Summa remissa etiam commemoratur in epistula Optati Pfäfflin die 16 m. Nov. a. 1930 ad Notkerum Mannhart directa (ASO, A.4.2).

Conditio tamen erat in eo, ut pecunia si tardissime die 15^o m. Ian. a. 1931^o esset in computo Rudolphi von Leuzendorf. Pecuniā acceptā etiam actiones imminentes retrahebantur. Hunc in modum hypotheca ad Rudolfum von Leuzendorf spectante amotā etiam primus locus hypothecarius liber erat argentariae Helveticae.

In fine mensis Ianuarii, tribus igitur mensibus post administrationem incohatam, Abbas Coelestinus Romam vectus est, ut apud Cardinalem Vilelmum van Rossum et Abbatem Primatem Fidelem von Stotzingen primam relationem de gressibus interea susceptis eorumque effectibus proponeret.²³ Revera hoc spatium temporis erat satis breve, ut iam effectūs quidam exspectarentur.²⁴ Tamen Administrator iam nonnullos effectūs ostendere valuit.

Conditio, quam Abbas Coelestinus invenerat et inde ei laboribus suis progrediendum erat, erat debitorum onus 8.000.000 scellinorum,²⁵ sed praeterea respiciendum erat expensas annuas in praedio Tragoessiano multo maiores fuisse quam accepta.²⁶ Calamitas appropinquans sic iam conspiciebatur. Abbate autem Coelestino indefatigabiliter agente conditio tamen iam paulo mutata erat.²⁷ Nam ad circiter 1.172 milia marcarum ex argentariā Helvetiā

23 De commoratione Romanā breviter Hartmut MADL (1999), p. 265. - Ipsos dies, nempe diem 20^{um} m. Ian. usque ad diem 28^{um} m. Ian. a. 1930^o, exacte indicat Coelestinus Maier in epistula die 28 m. Febr. a. 1931 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.11.1).

24 In epistula sua die 28 m. Febr. a. 1931 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.3.0.1.11.1) Coelestinus Maier recte scripsit: «*Sane intra tres menses numquam id sanari potest, quod intra tres annos tantopere corrumpi siverunt.*»

25 8.000.000 sc = 4.720.000 mc

26 Summam debitorum inventam exhibet Coelestinus Maier in primā relatione suā (1. Jahresbericht Administration der Congregation von St. Ottilien (1.11.1930-31.10.1931), S. 2 (ASO, A.4.2). Ibi expensae annuae indicantur fuisse 740.000 scellinorum et accepta 420.000 scellinorum.

In archivio Ottiliensi invenitur documentum quoddam, quo continetur index singillatim exaratus debitorum, acceptorum expensarumque praedii Tragoessiani. Hoc in documento neque nomen auctoris neque terminus exactus praebetur, quod vero secundum indicia in ipso documento exhibita verisimiliter mense Novembri vel mense Decembri anni 1930 compositum est (fortasse P. Optatus erat auctor). Ex hoc documento differentiis minoribus iidem numeri proveniunt. Versimiliter Abbas Coelestinus in relatione suā hōc documentō nisis est. Generaliter autem numeros suos marcis Germanicis indicat, cum hōc documentō solum summae scellinorum praebentur.

27 Cfr Administrations-Bericht per 31.Dezember 1930 (ASO, A.4.2).

allata²⁸ accesserant contributiones monasteriorum Ottilianorum ad cassam sanationis summā circiter 552.000 marcarum,²⁹ ita ut nonnullis acceptis minoribus numeratis illo temporis momento summa pecuniaria 2.295.000 marcarum in cassā sanationis erat in promptu. Ex hac pecuniā - uti iam commemoratum est - primo reliqua emptionis summa Rudolfo von Leuzendorf tradita est. Maximi autem momenti praeterea erat pecuniam creditam Monacensis argentariae, quae est Commerzbank, reddere, quae usuris magnis ab initio fuerat onus grave. Insuper quaedam aliae pecuniae creditae minores in aliis argentariis assumptae omnino vel partim solutae sunt.³⁰ His primis gestis itaque consolidatio atque stabilizatio in bona via erant, quā de causā responsales Romani erant contenti.

Minus vero contenti Ottiliani esse potuerunt se gerendi modo P.ris Aloisii Seibert. Eum omnino in parte fratrum Stirling stare interea erat manifestum. Munere ab Abbate Chrysostomo suscepto praeterea consultationum sessiones Monaci habitas participare vitavit. Fortasse timuit, ne exactius de rebus interrogaretur, cum revera nulla responsa haberet et - ut videtur - ei etiam conspectus deesset.³¹ Talis conspectus mancus cohaerebat quidem cum agendi modo fraudulento fratrum Stirling, tamen non erat excusatio intellegibilis, cum ageretur de existentiā Archiabbatiae Ottiliensis. Postquam mense Octobri a. 1930^o P. Optatus P.rem Aloisium in munere vicepraesidentis secutus est, Abbas Chrysostomus expectavit eum in Archiabbatiam reversurum esse.³² Idem tamen hoc non fecit. Praetextus non veniendi erat se P.rem Optatum in labores Vindobonenses introducere debere. Sed etiam apud P.rem Optatum vix umquam conspiciebatur et - uti iam commemoratum est -

28 In relatione diei 31 m. Dec. a. 1930 Helvetica pecunia credita 2,2 milionum francorum transnumeratur in 1.772.206,08 mc, in primā relatione administrationis (1.11.1930-31.10.1931), p. 7 (ASO, A.4.2) apparent 1.787.945,94 mc. Unde haec differentia exoriatur, non satis perspicuum est.

29 Agebatur de contributionibus monasteriorum Ottiliensis, Suarzacensis, Swickersperchensis, Meschetensis, Uznachensis atque procurae missionis. Tamen Archiabbatia Ottiliensis et monasterium Uznachense maximas summas dederant.

30 Sic ex.gr. ad argentariam Germanicam (Deutsche Bank), ad Amstelodamensem argentariam Wertheim, ad Vindobonensem argentariam creditoriam Austriacam (Österreichische Creditanstalt). - Iam ex hac brevi enumeratione, quā non omnes argentariae continentur, apud quas aes alienum exstitit, apparet, qualis confusio facta erat.

31 Hoc etiam manifestum erat in «Culturalis Societatis» sessione die 17 m. Oct. a. 1930 habitā, quā relatio de rationum summā postulata atque novum praesidium electum est.

32 De P.ris Aloisii modo se gerendi illo tempore exhibito *cfr* Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 12 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1).

P.ris Optati conamina eum a fratribus Striling avertendi etiam erant sine effectū. Tempore Natalicio anni 1930ⁱ Abbas Chrysostomus epistulariter compluries eum ad Archiabbatiam revocavit, tamen etiam hōc erat sine effectū, quia non vēnit. Tamen necessitas quaedam colloqui cum Abbate Chrysostomo exstitit, quia P.ri Alosio de quibusdam quaestionibus Tragoessianis responsa danda atque nonnulla documenta tradenda erant. P. Aloisius autem interea manifestavit se nullo modo iterum aliquam domum Congregationis intraturum esse. Qua re ad hunc modum obstinatum adductus sit, solum suspicari possumus. Fortasse etiam timor quidam irrationalis aliquid attulit,³³ quid confratres omnibus rebus Tragoessianis usque tunc actis fortasse de ipso facerent.³⁴ Itaque Abbati Chrysostomo nihil aliud relictum est ac P.rem Aloisium in Aenipontanam Abbatiam Benedictinam Sancti Petri vocare.³⁵ Ibidem medio mense Ianuario a. 1931^o convēnērunt, quo tempore Abbas Chrysostomus etiam documenta necessaria accepit. Hac occasione datā Abbas praeterea comperit P.rem Aloisium cum Archiabbatia Ottiliensi prorsus discordare et eum Ordinem relinque velle. Abbas Chrysostomus conatus quidem est eum retinere eum rogans, ut primo Fernstenii recreationem caperet. Deinde eum mittere voluit, ut in aliqua paroecia auxilium ferens curam animarum susciperet.³⁶ Haec providentia denique non multum profuit,³⁷ cum

33 Chrysostomus Schmid in epistula die 28 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578) hunc modum appellavit «*timorem pathologicum Abbatiam intrandi*».

34 Hōc in conexū non licet oblivisci P.rem Aloisium ab initio in re Tragoessiana participem fuisse. Illius temporis cellerarius secundus unā cum P.re Ludgero Breindl emptionis contractum praedii silvestris subscripserat et deinde munere primi cellerarii fungens in sanandi conaminibus non semper modo satis apto egerat. Vicepraesidens «Culturalis Societatis» etiam condicionem meliorare non valuit. Tamen revera opprobrio ei dari potest eius dependentia a fratribus Stirling, quorum commodis usque in finem magis serviebat quam Ottilianis, cum iam apud omnes alios cognoscentia praevaleret fratres Stirling esse fraudatores. - Tamen necessarium est dicere aversionem P.ris Aloisii erga Archiabbatiam Congregationemque non cohaesisse cum Abbate Chrysostomo. Nam idem in epistula die 28 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578) scripsit: «*Bene erga me se gerit.*»

35 «*Minis suspensionis adhibitis*», ut Abbas Chrysostomus scripsit.

36 «*Ut labore sacerdotis fortasse mentem iterum restituat*», ut Chrysostomus Schmid in epistula die 28 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578) scripsit.

37 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 181 adnotat Abbatiae «purgationem internam» a Chrysostomo Schmid postulatam nonnullas victimas postulavisse, inter quas etiam P. Aloisius fuerit. P. Aloisius tamen videtur non ita victima politicae internae Abbatis fuisse quam victima nimiae postulationis atque timorum suorum internorum. - Num P. Aloisius umquam menda

P. Aloisius mense Iulio a. 1931^o Ordinem reliquit et die 26^o m. Sept. a. 1931^o petitionem exclaustationis Romam misit causans valetudinem suam propter labores annorum praeteritorum nimis affectam esse, ut onus vitae monasticae diutius ferre posset.³⁸

Interea etiam opera multiplicia, quae P. Optatus contra fratres Stirling instigaverat, paulatim effectum exseruerunt. Imprimis impetus, quem Equites Melitenses exhibuerunt, fratres Stirling verisimiliter ad cogitandum adduxit, cum crux honoraria ablata eorum interitum socialem oeconomicumque significavisset. Ipse P. Optatus communicationem directam cum fratribus Stirling finiverat³⁹ et solum a Davide Schnabel eis tradere iussit ea, quae sibi in animo erant facienda: exempli gratiā acerrimas actiones in tribunali atque in publico se facturum esse, sed praeterea se scandalum publicum nolle, si alterā ex parte solutio quaedam extraiudicialis fieri posset. Hunc in modum fratres Stirling paulatim et gradatim enecati contritique sunt. Itaque P.ri Optato contigit, ut unā ex parte eis sine processū iuridico facultates plenarias detraheret, alterā ex parte summam pecuniariam 120.000 scellinorum ex contractū eis debitam in summam 73.000 scellinorum reduceret.⁴⁰ Die autem 10^o m. Mart. a. 1931^o denique illuc perventum est, ut separatio officialis et a

intellexit, quae fecerat, ex documentis exstantibus percipi non potest (aliter ac P. Ludgerus Breindl, qui usque ad finem vitae putavit se praedio silvestri Tragoessiano empto aliquid boni fecisse).

- 38 Cfr Aloisii Seibert petitio exclaustationis, 26.9.1931 (ASA, APr 579): *«quia pro valetudine sua debilitata et laboribus ultimorum annorum prorsus fracta impar est ferendi onera vitae monasticae.»*

De generalibus indiciis vitae P.ri Aloisii Seibert cfr ASO, A.1.1 (PA Seibert).

Exclaustatione et saecularizatione factis Aloisius Seibert munus suscepit in Archidioecesi Vindobonensi. Primo annis 1931^o et 1932^o in loco Pinkafeld (Regionis Castellanae) munere capellani functus est, deinde inter annos 1932^{um} et 1939^{um} operatus est in loco Neufeld/Leitha ut provisor parochi, inde ab anno 1940^o erat parochus in loco Wiesen (Regionis Castellanae). Anno 1944^o titulo decani honoratus est et etiam Consiliarius Spiritualis redditus est. Anno 1954^o ex causis valetudinis rude donatus est, sed per breve spatium temporis adhuc curam animarum in parvā paroeciā Archidioecesis Vindobonensis suscepit, antequam denique in monasterium Societatis Filiarum Caritatis in loco Pinkafeld situm se recepit, ubi etiam sacerdos spiritualis erat. Aloisius Seibert die 7^o m. Ian. a. 1962^o vitā functus est. - De vitā Aloisii Seibert post tempus suum Ottiliense cfr Anton WIDLHOFER: Die Priester (Pfarrseelsorger) unserer Heimatgemeinde Wiesen: Alois Seibert. In: Unser Pfarrmotor, Sommer 2021.

- 39 Sic rem refert in epistula die 7 m. Ian. a. 1931 ad Notkerum Mannhart data (ASO, A.4.2).

- 40 Iam die 7 m. Ian. a. 1931 Optatus Pfäfflin an Notkerum Mannhart (ASO, A.4.2) scripsit sibi nullo modo in animo esse totam summam pecuniariam compensationis solvere.

fratribus Stirling et ab officina Reichraminger transacta esset.⁴¹ Hic eventus Ottilianis erat magnum levamen, cum «phasis Stirlingiana» erat una ex nigerrimis in tragoediā Tragoessianā. Tamen usque ad illud temporis momentum fratres Stirling sumptibus «Culturalis Societatis» divitias suas non mediocriter auxerunt.⁴²

Archiabbas Norbertus de his omnibus rebus paene non iam quicquam agendum habuit, cum ipsius opera ad munus Superioris generalis reducta erat. Nihilominus necessarium erat, ut Abbas Chrysostomus eum interdum de conexibus prioribus ad rem Tragoessianam pertinentibus interrogaret, sed iterum iterumque animadvertit Archiabbatem de nullā re informationes praebere potuisse, cum in materiam non vere incubisset.⁴³

Tamen illo tempore verum problema Archiabbatis Norberti erat aliud. Debuit et voluit officia sua ut Superior generalis explere, sed variis ex causis hōc facere non valuit. Si utiliter pro Congregatione operari voluisset, cum aliis Superioribus Congregationis cooperari et eos rogare debuisset, ut consultationes fierent. Sed ab hac re deterritus est, quia sensū motus putavit co-operationem suam ab aliis non iam esse exoptatam.⁴⁴ Omnino falso verisi-

41 Cfr Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöß (18.6.1956), p. 26 (ASO, A.4.2). Die 18 m. Mart. a. 1931 (ASO, A.4.2) Optatus Pfäfflin Notkero Mannhart «*nuntium gaudii*» communicavit «*quoad officinam Reichraminger atque fratres Stirling ordinem factum esse et hōc quidem profunde*». - Breviter hanc separationem commemorant Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 12 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1); Hartmut MADL (1999), p. 265.

42 Optatus PFÄFFLIN: Rund um Tragöß (18.6.1956), p. 26 (ASO, A.4.2) scribit de 844.524,42 sc., quos fratres Stirling administratione praedii Tragoessiani sibi comparaverant. In tractatū, qui est «Kulturverein Tragöß» (1945/46), p. 3 (ASO, A.4.2) summam rotundam paulo auctam 850.000 scellinorum indicat. Quomodo Chrysostomus SCHMID: Geschichte von Tragöss (18.2.1946), p. 12 (ASO, A.4.2; ASO, A.1.8.1) ad summam 570.000 scellinorum pervenerit, non satis perspicuum est. Fortasse falsas unitates pecuniarias exhibuit. Hōc in conexū non licet oblivisci fratres Stirling etiam in posterum ex contractū lignorum caedendorum, qui adhuc valuit, de unoquoque metro cubico lignorum caesorum summam certam praemii accepisse. Cfr cap. 4.13.4.

43 Cfr epistula Chrysostomi Schmid die 28 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). Ibīdem Abbas Chrysostomus scripsit haec: «*Sic verisimiliter multa explicari possunt; id est nullam notitiam negotiorum habuit et tamen auctoritate sua subscriptioneque eadem firmavit.*» - Hac perceptione Abbas Chrysostomus certe recte dixit.

44 Cfr ex.gr. epistula Norberti Weber die 11 m. Mart. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578): «*Sed quia prorsus me excusum sentio, animum capere non valeo, ut ipse Reverendissimos Abbates rogo, ut conventus fiat, in qua tam multa consulenda et ordi-*

militer rem non diiudicavit.⁴⁵

Archiabbas Norbertus a tali condicione laboribus, quos sibi quaesivit, aliquo modo se avocare conatus est.⁴⁶ Itaque iter visitationis ad Inkamanam facere in animo ei erat, id quod episcopus Thomas Spreiter tamen stricte recusavit.⁴⁷ Praeterea propter condiciones ibidem non omnino certas ad Americanum monasterium Neotoniense situm itinerari voluit, cum inde hoc constanter posceretur, sed intellexit fieri non posse.⁴⁸ Condicio autem generalis non est meliorata, quod nonnulli Patres Ottiliani, quibus mutatio in Archiabbatiā ducendā displicuit, iterum iterumque Monacum vērunt, ut apud Archiabbatem Norbertum de Abbate Chrysostomo quererentur.⁴⁹ Insuper quidam Patres conati sunt efficere, ut desideria sua, quae Abbas Chrysostomus iam recusaverat, ab Archiabbate Norberto tamen consequerentur.⁵⁰ Revera scire

nanda essent.» Epistula Norberti Weber die 2 m. Apr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578): *«Et se gerendi modus Reverendissimorum Abbatum praeterito tempore me longe abesse commendabile esse mihi videtur. Me nimis vehementer sentire siverunt se me amovere velle.»* Epistula Norberti Weber die 2 m. Apr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578): *«Confidentia est res invicem praebita. Postquam manifeste mihi monstratum est non iam ullam confidentiam in me exstare, scilicet etiam confidentia mea prorsus evanuit.»*

De animi affectione Norberti Weber in initio anni 1931ⁱ cfr etiam Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 178 sq.

45 Sic ex.gr. Chrysostomus Schmid die 28 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen (ASA, APr 578) scripsit Archiabbatem Norbertum imprimis apud Superiores, id est apud Abbates atque Superiores missionis, nullam confidentiam iam invenire atque ipsum, quamvis optima voluntatis esset, ei confidentiam non iam praebere valere.

46 Verisimiliter conamen ironiae propriae adhibens Norbertus Weber die 11 m. Mart. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen (ASA, APr 578) scripsit se Archiabbatem nunc *«aliquatenus in aëre haerere»* et exceptis epistulis scribendis vix quicquam faciendum habere.

47 Cfr epistula Thomae Spreiter die 11 m. Maii a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 595). Ibi Abbati Primati nuntiavit se Norberto Weber scripsisse se visitationem canonicam ab illo faciendam in praesenti non bonam esse putare, sed Norbertum Weber gratissimum esse, si manere vellet.

48 Cfr epistula Norberti Weber die 11 m. Mart. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578). - Hoc iter Americanum iam tempore Coadiutoris eligendi ei in animo erat, sed etiam illo temporis momento se retinuerat.

49 Talia etiam narravit Norbertus Weber in epistula die 2 m. Apr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). Hac condicione - ut scripsit - commoratio Monacensis difficilior reddi, quia *«non iterum iterumque in rem involvi»* vellet.

50 Thomas Spreiter exemplum huiusmodi rei praebet (cfr epistula die 11 m. Maii a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 595)). Nomine non indicato scribit de Patre quodam, qui commorationem in Angliā petivit et responso negativo ab Abbate

debuissent separatione munerum factā licentiam ab Archiabbate Norberto datam non iam fuisse ullius momenti. Tamen iam antea tales Patres, qui Superiores unum contra alterum ponere conati sunt, ut desideria sua consequerentur, pars problematis fuerunt.

Conditio autem separatione munerum factā tamen aliquatenus difficilis mansit. Cum confidentia in Archiabbatem Norbertum evanisset et itaque quaedam problemata - velut Tragoessianum - eo praesente non aperte tractari potuerunt, sed etiam cum vires Archiabbatis annis praeteritis propter difficultates accumulatas et propter onus laborum nimis magnum revera minutae essent, Superiores Ottiliani de resignatione definitiva Norberti Weber deliberraverunt. Abbas Primas quōque cogitationes suas iam ad illam viam direxerat. Itaque Abbatem Chrysostomum, cum idem directe tangeretur, interrogavit, quid de resignatione Norberti Weber sentiret. Opinio autem Abbatis Chrysostomi hac in quaestione duos aspectūs habuit.⁵¹ Nam unā ex parte resignationem Norberti Weber non desideravit, cum iuxta alia problemata Archiabbatae in praesenti non insuper in alias quaestiones difficiles velut Neotonienses et ad insulas Philippinas spectantes incumbere posset, de quibus nondum notitiam haberet. Alterā ex parte confidentiam apud alios Superiores evanescentem atque difficultatem cum Archiabbate cooperandi vidit. Hac secundā deliberatione ductus magis resignationi favit.

Archiabbas Norbertus ipse iam ex aliquo spatio temporis dubitaverat, num condicionibus valentibus manere posset atque deberet.⁵² Voluit - uti dixit - simpliciter «disparere» et libentissime ad aliquem locum missionis se conferre.⁵³ Plures perturbationes Archiabbatis Norberti excitabantur epistulis ali-

Chrysostomo dato licentiam ab Archiabbate Norberto tamen accepit. Sed colloquio habito concessio iterum retracta est. Thomas Spreiter hōc locō iure adnotavit: «*Duo Superiores, qui unus adversum alterum agunt, non bene faciunt.*»

51 Cfr epistula Chrysostomi Schmid die 28 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578). - Ad hanc rem etiam Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 178 sq.

52 Cfr epistula Norberti Weber die 11 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578), ubi scribit condicionem diu non sustentabilem sibi videri. - Etiam epistula Norberti Weber die 25 m. Mart. ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578), ubi dicit se «*intrinsecus non esse satis certum atque tranquillum*».

53 Talia compluries iteravit, sed non semper satis directe dixit, quo fortasse ire vellet. Interdum de Africā Orientali vel de insulis Philippinis locutus est. Cfr epistulae Norberti Weber die 11 m. Mart. a. 1931; die 25 m. Mart. a. 1931; die 2 m. Apr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missae (ASA, APr 578). - Abbas Chrysostomus iam ante resignationem suspicatus est verisimiliter de Africā Orientali vel de insulis Philippinis actum iri (cfr epistula die 28 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578)).

cuius Patris, cuius nomen non indicatur. Idem his epistulis ut vir privatus atque a nemine adductus Archiabbatem quadamtenus urgebat, ut definitive munere se abdicaret.⁵⁴ Decursū ulterioris commercii epistularis ille Pater scripsit se Archiabbati Norberto hoc consilium dare, cum «*opiniones omnium personarum hac in re plurimum valentium*» optime sciret, sibi tamen de hac re loqui non liceret. De facto ipso, quo resignatio sua desideraretur, Archiabbas non quidem est miratus, sed offensus erat - sicut ex epistulis illius Patris conclusit - Abbates in conventū in Archiabbatiā Ottiliensi habito stauisse, ut ipse ad resignationem aduceretur, sed hoc ipsi reticere velle.⁵⁵ Si hoc revera ita se habuisset, sane mirum esset atque quoad scopum non idoneum fuisset, cum in eius resignatione - ut Norbertus Weber verisimiliter iure suspicatus est - speciem praeberi vellent ipsum hoc suā sponte facere. Ut opinor, Pater quidam praeter modum incensus - et fortasse aliquatenus inflatus - nimis celeriter egit, antequam Abbates omnino aliquid facere atque ipsi cum Archiabbate Norberto loqui potuerunt.

Effectus huius impetūs miri revera erat in eo, ut Norbertus Weber longae epistulae die 25^o m. Mart. a. 1931^o ad Abbatem Primatem missae petitionem resignationis suae subiunxit rogans, ut eadem ad Congregationem Religiosorum transmitteretur. Tamen manifestum fit eum hōc tantummodo eā de causā fecisse, quia se opinione «*hominum plurimum valentium*» ad hunc gressum faciendum urgeri sensit.⁵⁶ Ex sono omnium enuntiatorum, quae hōc in conexū protulit, percipitur illo temporis momento acerbiteram quandam in eum

Bonifatius Sauer in epistula die 5 m. Iul. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 585) commemoravit Archiabbatem Norbertum aliquando ei scripsisse se Abbatem Bonifatium fortasse rogare voluisse, ut ipsum in Vicariatum suum susciperet. Bonifatius Sauer subiunxit se, etiamsi Archiabbatem Norbertum amaret, valde gaudere talem quaestionem non ad ipsum pervenisse.

54 Cfr relatio huius rei in epistula Norberti Weber die 25 m. Mart. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578). - De hōc themate etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 179.

55 Abbati Primati opprobrio dedit eum certe de hac re scivisse, sed ipsi nihil dixisse.

56 In epistula die 25 m. Mart. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578) Norbertus Weber praeterea scripsit illos, qui resignationem suam vellent, «*etiam sequelas praestare*» debere. De quibus sequelis cogitaverit, tamen non dixit. Iam in culmine crisis saepius sententiam protulerat, si abiret, collapsum Archiabbatae Congregationisque futurum esse. Hanc opinionem verisimiliter hōc temporis momentō non iam habuit. Putandum est ei tunc potius de famā Archiabbatae actum esse, si temporis spatiis tam brevibus iterum iterumque mutationes fierent.

irrepsisse videri.⁵⁷

Quamquam Archiabbas Norbertus ex experiētiis septimanarum praeteritarum bene scivit muneris abdicationem suam tempore non nimis diu futuro instare, ipsa petitio resignationis atque circumstantiae, quae eum ad eandem scribendam adduxerunt, eum videlicet tamen perturbaverunt et ei deliberationes aliquatenus miras instillaverunt. Nam - ut erga Abbatem Primate[m] enuntiavit - nescivit, quo post resignationem iret et quam relationem cum Archiabbatia Ottiliensi Congregationeque adhuc haberet.⁵⁸ Nam praeter alia interrogavit, utrum post resignationem omnino ad Congregationem pertineret an insimul etiam ei Congregationem relinquendum esset vel ex eā extruderetur. Praeterea quaesivit, quid de voto suo stabilitatis esset, quod in monasterium Ottiliense protulisset et quod unā cum resignatione suā videlicet prosus extinctum esset. Quae cogitatio ad deliberationem eum adduxit, quo modo in futurum cum Congregatione cohaereret. Cum hac deliberatione coniuncti erant quidam timores existentiae, quomodo et ubi in futurum vitam suam sustentare posset.⁵⁹ - Tales cogitationes absonae perturbataeque, quae sequelis imaginatis nitebantur et quae realitati omnino non conveniebant, revera tantummodo explicari possunt ex psychica condicione excitata, in qua modo erat.

Nonnullis diebus post Archiabbas Norbertus denuo paulo tranquillior erat, quamquam variis ex causis adhuc existimavit se post resignationem in Germaniā non iam manere posse.⁶⁰ Tunc revera ex omnibus rebus se extrahere

57 Talia etiam apparent in eius petitione resignationis, ubi scribit se munus suum deponere, «*quia omnino impar est, qui dictam Congregationem gubernet*». - Verba allata secundum Cyrillum SCHÄFER (2005), p. 180, adn. 414.

58 Cfr epistula Norberti Weber die 25 m. Mart. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578).

59 Scripsit enim Monaci se manere non posse, sed etiam in aliquod monasterium Ottilianum se conferre non posse. Sed se ut sacerdotem saecularem resignatum vivere nolle. Et denique etiam interrogavit, num aliquo modo de tempore suo futuro ipse curare deberet.

60 Cfr epistula Norberti Weber die 2 m. Apr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - Ibi praeter alia scripsit in separatione munerum ideam bonam fuisse, qua dicebatur causam in nimio onere laborum esse, sed se nunc post resignationem non iam scire, quid hominibus diceret. Itaque putavit illo tempore melius fuisse statim ab utroque munere se abdicare. - Resignationem Norberti Weber tam brevi tempore post separationem munerum in publico revera aliquatenus miram perceptam esse, etiam scribit Odilo Mayrock in epistula die 15 m. Maii a. 1931 ad Thomam Spreiter missa (ASO, A.1.1 (PA Mayrock); ASO, A.4.2). Hunc in modum «*condiciones dissolutas*» manifestatas esse, ut putat. Ipse autem resignationem Norberti Weber comprobavit.

voluit. Imprimis mirum esse existimavit eo plures Patres - ut ei traditum erat - monasterium relicturos esse, si munere se abdicaret.⁶¹ Illis vero monachis bonum exemplum praebere voluit in missionem se recipiens, ut spiritus missionarius interiens iterum inflammaretur.

Res deinde cursu officiali tractabantur et Congregatio Religiosorum rescripto diei 14ⁱ m. Apr. a. 1931^o resignationem Archiabbits Norberti Weber accepit.⁶² Insimul in ipso documento iterabatur resignatione acceptā Abbatem

61 Archiabbas Norbertus insuper tamen scripsit se inter decessum Patrum atque resignationem suam «*nullum conexum logicum invenire*» posse.

Iam Coadiutore electo atque munere ab Abbate Chrysostomo suscepto nonnullos Patres monasterium reliquisse supra commemoratum est. Alios quōque secuturos esse etiam Abbas Chrysostomus suspicatus est, uti scripsit in epistula die 28 m. Febr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). Scitū dignum nihilominus est P.rem Meinulfum Küsters quōque problemata exhibuisse. Secundum opinionem Abbatis Chrysostomi idem pertinuit ad illos candidatos monasterium relinquentes. Abbas enim eum admonuerat, ut munus suum in Monacensi Museo Ethnologico deponeret, id quod P. Meinulfus promiserat quidem, sed usque ad hōc temporis momentum nondum fecerat. Quamquam Abbati Chrysostomo videbatur eum munus deponere nolle, ipse non nimis acriter contra illum agere desideravit, quia propter eius «*indolem intemperatam*» scandalum expectandum esset. Nam iam compluries P. Meinulfus opprobria vehementissima erga Abbatem Coelestinum Maier protulerat. Cuius generis illa opprobria erant, non comperimus. Rem fortasse aliquatenus explanantes sunt quaedam adnotationes Thomae Spreiter. Nam idem scripsit se audivisse P.rem Meinulfum contra Abbatem Coelestinum eiusque opus sanationis agitare. Episcopus autem Thomas intra se interrogavit, quo salarium circiter 5.000 / 6.000 marcarum ex munere in Museo Ethnologico proveniens perveniret, ipse itaque suspicatus est etiam Abbatis Coelestini in conexū incepti parsimoniae sanationisque talia interesse. Inde agitationem vehementem P.ris Meinulfi contra Administratorem explicari. Cfr epistula Thomae Spreiter die 11 m. Maii a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 595).

62 Cfr Rescriptum Congregationis Religiosorum, 14.4.1931 (ASO, A.2.1.2; ASA, APr 578). Subscriptum est documentum Italice exaratum a Cardinale Alexio Henrico [*Alessio Enrico*] Lépiciér.

De resignatione Norberti Weber exactum diem indicantes cfr etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 181; Cyrill SCHÄFER: Benediktinische Kongregationen. In: Manfred WEITLAUFF (ed.) (2008), p. 766; Cyrill SCHÄFER: Sankt Ottilien. In: Germania Benedictina 2 (2014), S. 2000; Angelika SCHUSTER-FOX: «Dominus providebit». In: Rhaeten-Herold 61, Nr. 552, 2011, p. 4. Tantummodo mensem Aprilem indicant Frumentius RENNERT: Entfaltung. In: Leuchter 2 (1992), p. 41; Frumentius RENNERT: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 345; Godfrey SIEBER (1992), p. 137; Godfrey SIEBER (2016), p. 116; solum ipsum factum resignationis sine termino indicato commemorat Hartmut MADL (1999), p. 265; secundum Leandrum BOPP (1952), p. 62 (ASO, D II) resignatio fiebat quadrante anno, postquam Archiabbas Norbertus mense Ianuario Monacum transmigravit; Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 173 solum

Chrysostomum eo ipso atque statim munere Archiabbatis fungi et eum hunc in modum etiam regimen Congregationis suscipere. Sed aliqua verba gratiarum actionis ad Archiabbatem Norbertum directa hōc in documentō non apparent. Itaque die 14^o m. Apr. a. 1931^o aetas Norberti Weber in Archiabbatiā Ottiliensi finita est.

Abbas Primas Fidelis von Stotzingen die 17^o m. Apr. a. 1931^o epistulam circularem conscripsit, quā muneris abdicationem Archiabbatis Norberti nuntiavit et praetera ei gratias pro omnibus laboribus exanclatis egit.⁶³ Illa epistula circularis primo in manūs Abbatis Chrysostomi pervēnit, qui eam deinde palam fecit atque circummisit.⁶⁴ Chrysostomus Schmid die 20^o m. Apr. a. 1931^o etiam primus erat, qui informationem officialem resignationis accepit. Nuntio accepto statim Monacum vectus est, ut Archiabbati Norberto documentum traderet et cum ipso de condicione novā atque de munere tradendo colloqueretur. Colloquium autem tranquille sobrieque transactum est.⁶⁵ Vesperi diei 20ⁱ m. Apr. Archiabbas Chrysostomus consessū extraordinario omnes Ottilianos monachos professos de Archiabbatis Norberti resignatione libere factā, ut dicebatur, atque de successū suo in hōc munere certiores fecit.⁶⁶

Occasione muneris suscepti datā Archiabbas Chrysostomus epistulam circularem die 21^o m. Apr. a. 1931^o datam conscripsit,⁶⁷ quā breviter ipsum factum regiminis Congregationis mutati exposuit, sed deinde gratias prolixas Norberto Weber destinatas subiunxit pro omnibus rebus, quas in salutem Congregationis fecerat. Quibus autem sentiis hae gratiae fiunt praesertim pretiosae, est solacium pro Norberto Weber ibīdem inveniendum omnia facta gestaque numquam frustra esse exhibita, etiamsi interdum aliquid in irritum caderet. Denique Archiabbas etiam onus muneris sui commemoravit atque in

declarationem Chrysostomi Schmid diei 20^o m. Apr. a. 1931^o ad resignationem Norberti Weber spectantem affert.

63 Cfr Fidelis von Stotzingen: Rundbrief, 17.4.1931 (ASA, APr 578).

64 Cfr epistula Chrysostomi Schmid die 22 m. Apr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578).

65 Sic hōc colloquium descripsit etiam Norbertus Weber in epistula die 20 m. Apr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). Addidit autem haec: «*Dicere non possum me nimis de hac re dolere.*»

66 Cfr Ann. Ottil., 20.4.1931 (ASO, A.3.4.4). - Cfr etiam epistula Chrysostomi Schmid die 22 m. Apr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578).

67 Cfr Chrysostomus Schmid: Rundschreiben, 21.4.1931 (ASA, APr 578; ASO, A.1.8.1).

tempus futurum Archiabbatiae Congregationisque incubuit. Ei magni momenti erat illustrare scopum externum Congregationis, qui constaret in opere missionario, fundamentum suum habere in fine interno, nempe in consecratione propriā, id est hac condicione, quā monachi vocationem suam secuti euangelio atque regulae Sancti Benedicti oboedirent. Fine interno non expleto etiam missionaria opera Benedictina prospere succedere non posse.⁶⁸

Die 23^o m. Maii a. 1931^o Archiabbas Norbertus denuo in Archiabbatiam Ottiliensem vēnit, ut in patriā suā monasteriali festum Pentecostis celebraret atque confratribus suis valediceret.⁶⁹ Itaque tamen non simpliciter «disparere» voluit. Haec sollemnitas valedictionis post duodetriginta annos artae coniunctionis animos certe satis commovit. Annalista eam descripsit ut «*pulchram et tristem et consolabilem*». Die 22^o m. Iun. Archiabbas Chrysostomus iterum Monacum vectus est, ut Norberto Weber immediate ante eius profec-tionem in Africam Orientalem regionemque Lindiensem valediceret.⁷⁰ Sic novum spatium temporis et pro Norberto Weber et pro Archiabbatiā Congregationeque incohaturum est.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 229, 2022, 337-353]

68 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 181 illas explicationes verisimiliter iure meritoque appellat «*aliquid ut programma regiminis*».

69 Cfr Ann. Ottil., 23.5.1931 (ASO, A.3.4.4). - Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 173; Angelika SCHUSTER-FOX: «Dominus providebit». In: Rhaeten-Herold 61, Nr. 552, 2011, p. 4 hanc sollemnitatem valedictionis etiam commemorant.

70 Vgl. Ann. Ottil., 22.6.1931 (ASO, A.3.4.4). - Archiabbas Chrysostomus Norberto Weber concesserat, ut futurum locum commorationis libere eligeret. Cfr adnotatio in epistula Chrysostomi Schmid die 22 m. Apr. a. 1931 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578). Odilo Mayrock asseverat hanc possibilitatem loci libere eligendi in epistula die 25 m. Maii a. 1931 ad Thomam Spreiter data (ASO, A.1.1 (PA Mayrock); ASO, A.4.2), quibus verbis rumoribus alia dicentibus obvēnit.